

**Disputacio vini et aque, Summa recreatorum, IV. traktát,  
rkp. NK Praha I E 22, f. 87v-88v**

Ego quondam spiritu vel in carne gravi  
Raptus sum et tertium celum penetravi,  
Ubi secretissima quedam obscultavi,  
Que post in consilio fratrum revelavi.

Dum sederet siquidem in excelso deus  
Et cepisset spiritus trepidare meus,  
Statim in iudicium Thetis et Lieus  
Intrant et alteruter actor est et reus.

Aqua  
Thetis ab exordio multum gloriatur,  
Ego sum cui merito laus et honor datur.  
Cum sim ex quo machina mundi firmabatur,  
Et super (me) spiritus domini ferebatur.

Vinum  
Bachus ad hoc talia incipit referre,  
Mos est prius vilia, cara post deferre.  
Sic et deus voluit te prius offerre,  
Et me post ut biberent potatores terre.

Aqua  
Me viciis dulcissima Cristi ampliavit,  
Quando me de puteo potum postulavit.  
De torrente siquidem attestante davit,  
Bibit et tunc proprium capud exaltavit.

Vinum  
Uve nil aquaticum fuit intermixtum,  
Cum in vite dominus fructum dedit istum.  
Ergo qui potaverit vinum aqua mixtum,  
Peccavit contra deum et adversus Cristum.

Aqua  
Me contenta respuit Nazarenus vina,  
Cum in me reposita sit vite medicina.  
Quod ex ewangelica patet disciplina,  
Dum sanaret angelus equos in piscina.

Vinum  
Te quamvis aquaticus bibat Nazarenus,  
Quantum salutifer sit effectus meus.  
Patet dum Apostolus probavit, ymmo deus,  
Qui me propter stomachum bibat Thymoteus.

.....

Aqua

Cum tu semper causa sis intemperiei,  
Ego sum opposita tue rabiei.  
Namque sicut legitur aque, non Liei  
Impetus letificat civitatem dei.

Vinum

Tu namque vilissima funderis in planum,  
Ego vero loculum mittor in archanum.  
Tu potas in montibus pecus rusticatum,  
Sed noster letificat potus cor humanum.

Aqua

Fructum temperaneum reddit excolenti,  
Lignum quod est proximum aque defluenti.  
Par est bono nuncio longe venienti,  
Potus aque frigide viro sicienti.

Vinum

Satis contemptibilis, satis est egena,  
Si qua forte ducitur sine vino cena.  
Non exterret homines paupertatis pena,  
Cum me promptuaria sunt eorum plena.

Aqua

Primam ego fidei portam vendicavi,  
Quando dei filium in Yordane lavi.  
Et figuram veteris legis consumavi,  
Cum de suo latere foras emanavi.

Vinum

Ad baptismi graciam venit per te reus,  
per me iustos homines iungit sic dominus.  
Nec fuisse legitur aqua sed lieus,  
De quo dixit dominus hic est sangwis meus.

Aqua

Ego pulchritudinis mater, claritatis  
Mater sum et omnibus offero me gratis.  
Ego pratis aufero pestem siccitatis,  
Cum super intonuit deus maiestatis.

Vinum

Quantumcumque sapiens et quantumcumque carus,  
Sine vini tramite cibus fit amarus.  
Quo gaudet poculo pauper et avarus,  
Sed calix inebrians o quam est preclarus.

Aqua

Ego flamas tempero solis, in pruinis  
Potum do volucribus, opus molendinis.  
Et mundum circumeo fluctibus marinis,  
Ubi sunt reptilia, quorum non est finis.

Vinum  
Ego in palmitibus in torcula ivi  
Et exinde hominis ventrem introivi.  
Vasculorum genera multa pertransivi  
Et in potatoribus requiem quesivi.

Aqua  
Racio confunditur, oculi cecantur  
Hiis, qui tuis potibus nimis inmorantur.  
Blande dum ingrederis, potantes turbantur  
Et, quod est deterius, mox inebriantur.

Vinum  
Potus tuus pestifer est et venenatus,  
Ni foret propheticō sale decoratus.  
In me tuus pestifer potus est mutatus,  
Cum fuit ad nupcias Cristus invitatus.

.....

Aqua  
Dextro templi latere meus est egressus,  
Per me culpa luitur, si est quis excessus.  
Actus elemosine mistice concessus  
Est mihi, quo criminum ignis est opressus.

Vinum  
Virtus ista siquidem in te figuratur,  
Sed per me compuncio cordis designatur,  
Quo deus virgineus pudor germinatur,  
Dum reus convertitur et iustificatur.

Aqua  
Si quis falsos hactenus coluere deos,  
Si renasci faciat se per fontes meos,  
Rex in celo recipit absolvendo reos,  
Nec qui in celis habitat irridebit eos.

Vinum  
Viam celi dare est actuum meorum,  
Nam non longe graciam petas extrorum.  
Per me tu intrabis atria celorum,  
Ubi collocate sunt anime iustorum.

Aqua  
Hanc ad vocem civibus celi concitatis,  
Quasi racionibus vini conprobatis,  
Inclamatur forcitus vocibus elatis,  
Terre pax hominibus bone voluntatis.

Vinum  
Quibus ego vocibus tale post examen  
Excitatus expuli sompnii velamen  
Et laudavi concinnens patrem, natum, flamen  
Usque ad in gloriam dei patris amen.